

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0923

0921

0927

0917

0932

0912

0972

0872

1022

0822

0422

Ende

Anfang

350

propter loci venerationem et ad sanctos patriarchas devotionem, ita quod successu temporis civitas fuit ibi facta, et Hebron antiqua derelicta ante tempora David regis. David enim rex VII annis regnavit in Hebron moderna. Insuper Judaei petrae speluncae superaedificaverunt oratorium et postea Christiani destructo oratorio Judaeorum ecclesiam magnam superaedificaverunt, ordinantes in ea episcopum et canonicos. Post terrae sanctae autem amissionem fecerunt Sarraceni ex ecclesia muscheam et altis muris et turribus eam muniverunt, et ita hodie stat in civitatis medio, sicut forte castrum, nec habet aspectum ecclesiae, sed castri vel grandis palatii. Dixerunt autem nobis Sarraceni, quod ipsa muschea plena sit ardentibus lampadibus, et lampades in spelunca duplice in aureis sustentaculis pendent et sericis funibus vel argenteis catenulis appendent. Plures sacerdotes sunt in ea muschea tam Soqui quam Alhages, ita quod numquam hora transit nec die nec nocte, in qua non sit cantus juxta speluncam duplensem: vicisem enim sibi invicem succedunt. Dum autem sic staremus ad gradus muscheae, congregati fuerunt multi juvenes et senes ad videndum nos.

(9 a) De hospitali Hebron et de piscina Hebron et aliis locis.

Post muscheae et duplices speluncae considerationem descendimus paululum et ad fores hospitalis pauperum venimus, quod sub muschea est. Introducti autem vidimus officinas pulchras et in coquina et pistoria grandem praeparationem pro peregrinis Sarracenorum, quorum cottidie magna multitudine advenit ad visitandam speluncam duplensem, sepulchrum patriarcharum. Habet hoc hospitale in annuis redditibus ultra XXIIII millia ducatorum. Unde singulis diebus coquuntur in cibano mille ducenti panes, qui distribuuntur potentibus, et nulli peregrino denegatur eleemosyna, sit cuiuscumque gentis vel fidei et sectae. Qui petit, accipit panem, oleum et menestrum, quod nos pulmentum vocamus. Castellum S. Samuelsis solum singulis annis solvit illi hospitali duo millia ducatos, et Sarraceni et Turci divites cottidie transmittunt ad locum

